



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 168. Quæ poenæ per calumniam seu malitiam denunciantis impedimentum ad impediendum Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

quod velit punire etiam tale factum carens valore. Hinc deduco, &

3. Resp. tertio: Contrahentes simpliciter clandestinè, validè tamen, nimirum in locis, ubi Tridentinum receptum non est, adhuc hodieum incurrunt pœnas statutas contrahentibus simpliciter clandestinè; quia lex illa pœnalis ob dicta mala inde provenientia respicit factum cum effectu juris seu valore. Nihilominus tamen etiam contrahentes simpliciter clandestinè invalidè, Trident. *cit. c. 1.* præcipit graviter puniri ab ordinariis.

Quest. 166. Quæ sit pœna parochi vel alterius Sacerdotis assistentis matrimonio clandestino.

1. **R**esp. primò: In *c. cum inhibito. h. r.* statuitur hæc pœna, ut talis per triennium suspendatur ab officio, circa quam pœnam notanda veniunt sequentia, primò habere illam adhuc hodie post Trident. locum in assistente parochi vel alio Sacerdote, sive sæculari, sive regulari de parochi aut Ordinarii licentia matrimoniis clandestinis ob omittas denunciations, adeoque validis; quia Trident. ex una parte de hoc nullam decrevit pœnam; ex altera parte dicit se inhærere vestigiis Concilii Lateranensis, ex quo desumptum est *c. cum inhibito. Sanch. d. 48. n. 7. Pirh. h. r. num. 42.* Eandem pœnam *eod. cap.* statutam parochi & alteri Sacerdoti assistenti matrimonio clandestino ob non adhibitos in requisito numero testes perdurare adhuc hodieum censent plures apud Sanch. eò quod Trident. dicat se inhærere vestigiis Concilii Lateranensis. Censent è contra Sanch. *num. 4. Castrop. num. 13. Pont. l. 5. c. 37. num. 11.* illam à Trid. revocaram, dum statuit, parochum aliosve; qui interfuerunt istiusmodi ob dictam rationem clandestinis matrimoniis, pro arbitrio ordinarii graviter puniendos; siquidem quando minor pœna imponitur nova lege ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur lege antiquæ, tunc cesset pœna legis antiquæ; quod ipsum tamen nondum sufficienter probatum ait Pirh. *l. c.*

2. Notandum secundo: Dictam pœnam extendi à Sanch. quotiescunque interfuit matrimonio à jure interdicto. V. G. si vagos absque licentia Ordinarii conjungat. contra tenet Castrop. eò quod textus *cit. c.* tantum loquatur de matrimoniis, quæ ob suspensionem impedimenti dirimentis interdicta sunt.

3. Notandum tertio, dictam pœnam locum non habere modo, si parochus alienus, vel quicumque alius Sacerdos sine proprii parochi licentia interfuit tali matrimonio, cum enim tale matrimonium sit invalidum, ideo pœnæ olim impostæ assistenti tali matrimonio, quod tunc erat validum, non incurruntur. Sanch. *cit. d. 48. num. 6. Pirh. num. 42.* Nihilominus talem suspensionem esse ab officio & beneficiis, quousque Ordinatio illius parochi, qui debebat assistere, visum fuerit, à qua suspensione ramen excusat ignorantis, modo crassissima non sit, ait Castrop. *n. 15.*

4. Notandum quarto, talem suspensionem ab officio, hoc est, ab officio & exercitio ordinis clericalis, non esse suspensionem à beneficio, hoc est, à perceptione fructuum beneficii; cum hæc sint suspensiones distinctæ, & in *cit. c. cum inhibito*; non exprimat nisi suspensio ab officio, Pirh. *num. 43.* citans Sanch. *l. 3. d. 51. num. 14.* qui tamen addit, posse Judicem suspendere talem etiam à beneficio, si culpæ gravitas id exiget, juxta *§. fin. cit. c. cum inhibito.*

5. Notandum quinto, de cætero suspensionem illam triennem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ per Judicem, ut constat ex textu *cit. c.* ubi dicitur: *feratur*; quod actum seu ministerium Judicis in futurum significat et exigit. Sanch. *cit. d. 48. num. 2. Castrop. num. 12. Pirh. num. 42. Pont. l. c.*

6. Notandum denique, ab ista triennali suspensione Episcopum non posse absolvere. Sanch. *l. 3. d. 52. num. 2. Gutt. c. 75. num. 22. Pont. cit. num. 11. Castrop. num. 14. Pirh. num. 44.* Item Jo. And. Host. Præposit. in *cit. c.* eò quod suspensio illa lata ab ipso Concilio Generali, & quidem præfixo tempore, quò durare debet; Episcopus autem in lege seu decreto Concilii generalis dispensare nequeat; unde licet ipse tulerit illam suspensionem; quia ramen id fecit, non tanquam principalis, sed tanquam minister Concilii generalis, eam relaxare non poterit, & licet absolvere possit à suspensione lata à jure indefinitè, nullo designato tempore, id tamen non potest, ubi adjectus certus terminus durationis suspensionis; Ac denique nec vi Trident. *sess. 24. c. 6.* absolvere potest ab omnibus censuris, etiam reservatis Pontifici; sed ab iis solis, quæ nec publicæ, nec ad forum externum deductæ; hæc autem triennalis suspensio, cum, ut dictum, non incurratur ipso facto, sed per sententiam Judicis jam est sententia publica, & ad forum externum deducta. Castrop. &c.

Quest. 167. Quæ pœna testium assistentium matrimonio contracto absque parochi, vel contracto omittis culpabiliter denunciations.

Resp. sunt puniendi arbitrio Ordinarii; neque enim illis alia statuta pœna. Sanch. *d. 46. num. 7. Gutt. c. 75. n. 9. Castrop. n. 15.*

Quest. 168. Quæ pœnæ per calumniam seu malitiam denunciantis impedimentum ad impediendum matrimonium.

Resp. Eum puniendum canonicè pro arbitrio Judicis, cum pœna specialis non sit in jure expressa. Pirh. *num. 43.* qui tamen addit ex *2. c. de calumniator.* calumniosè denunciantem suspendendum ab officio & beneficio, donec se purgaverit.